



Universitätsbibliothek Paderborn

Antidota Evangelica Contra Horvm Temporvm Hæreses

In Qvibvs Quatuor Euangeliorum illi textus explicantur, quibus vel hæretici hodie (maximè Caluinus & Beza) ad sua dogmata propugnanda vti solent, vel ad hæreticorum dogmata impugnanda Catholici vti possunt

Antidotorum Evangelicorum D. Thomæ Stapletoni, S. Theol. Doctoris, & in Academica Louaniensi S. Script. Professoris Regij, Pars Altera - In Sacrosanctum Euangelium secundùm Ioannem

Stapleton, Thomas

Lvgdvni, 1595

8. Si non lauero te, non habebis partem mecum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39480

non sequenti: cuius obseruationis ignoratio Græcos fefellit. Sic alij tres Euangelistæ vocabant eundem diem 14. lunæ *primum diem azymorum*, non quia toto illo die comedebantur, sed per Synecdochen, quia ad vesperam illius diei comedi cœperunt. Rursum Hebræi quando diem nominant, non computant illum cum nocte, sed seorsim à nocte, sicut supra Christus, *Nōne duodecim sunt hora diei* ideoque ab ortu solis vsque ad occasum diem computant. Sic Ioannes hoc loco dixit, *Ante diem festum Pascha*, id est, ante ortum solis solemnitatis Paschalis. Sic cæteri Euangelistæ intelligi possunt dixisse, *Primo die azymorum*, id est, in ipso die quo azyma preparabantur. Addunt enim Marcus & Lucas, *In qua neesse erat occidi pascha*: hoc autem erat 14. luna, nam illo die ante vesperam seu ante solis occasum immolati debebat, & eadem nocte post solis occasum comedi oportuit. Sic cum cæteris Euangelistis concordat ad amussim D. Ioannes.

Ioan. II.

8. *Si non lauero te, non habebis partem mecum.*

Quid Christus his verbis significare voluerit, difficile est certò intelligere. Nam aut de reali pedum ablutione loquebatur, & sic videtur vel quasi Sacramentum quoddam esse necessaria pedum ablutio, vt putauit D. Bernar. in serm. de cœna Domini; vel certè ceremonia necessaria ante vener. Euchar. sumptionem, vt censuit D. Ambrosius de Sacram. lib. 3. cap. 1. & de iis qui inchoantur mysteriis cap. 6. qui & in sua diœcesi hoc obseruabat: aut de spiritali aliqua ablutione seu sanctificatione, vel venialium, quorum mundities necessaria est, vt ingressus pateat ad regnum cœlorum, quem sensum tradit August. tract. 36. & Cyrill. lib. 9. cap. 5. in Ioan. vel etiam mortalium, vt putabat Cyprianus in serm. de ablutione pedum. Sed hic sensus posterior eo verbo refellitur: *Qui mundus est, non indiget nisi vt lauet pedes*, &c. Prior sensus non videtur ad literam esse, quum Christus ad realē ablutionem Petrum inducebat, & de reali comminabatur. Iam vt realem ablutionem intelligamus, aut est comminatio generalis, aut soli Petro propria. Si generalis, prior Bernardi aut Ambrosij sententia sequenda videbitur. Neutram tamen tenuit Ecclesia. Est ergo realis ablutionis mandatum soli Petro proprium. Sed tunc quæritur cur sub tanta comminatione præcipitur. Chryostomus homil. 69. putat propter

Verborum sensus exa minatur.

*Obedientia
necessitas.*

humilitatis documētum in hac ablutione significatum, quam nisi Petrus teneat, non habebit partem cum Christo. Sed hic iterum realis ablutio, quam Christus viget, deseritur. Optima igitur est D. Basilij expositio *Si non laueris te, id est, si mihi volenti tuos pedes lauare non obedieris, propter hanc tuam inobedientiam à meo consortio separaberis.* Sic ille appositiuè exponit in oratione de peccato: & in regul. breuioribus ad interrogat. 60. & ad interrogat. 133. in moralibus quoque reg. 12. cap. 2. Neque hic sensus reitci debet, quia Christi comminatio non ad ipsam inobedientiam sed ad ablutionem refertur. Non enim Christus ablutioni pedum promittit partem secum aut aliquam gratiam, sed negatæ ablutioni, quæ erat inobedienciæ actus, comminatur gratiæ negationem. Sic ad literam seruantur Christi verba: quod Petrus bene intelligens promptissimè obediuit.

14. *Si ego laui pedes vestros Dominus & Magister, & vos debetis alter alterius lauare pedes.*

*In com. ad
e. 13. Ioan.
ver. 15.*

*Ad Matt.
cap. 4. 2.
Dom. 1.
Quadr.*

AD hæc verba Caluinus præclaram sibi occasionem dedit, in Ecclesiasticam hodie consuetudinem, qua in quinta feria hebdomadæ sanctæ pauperum aut inferiorum pedes à Prælati Ecclesiasticis lauare solent, impotentem incurrit. Sed ut ad eam accusationem descendat, aliam præmittit. Totum insulsi cauillaroris delirium proferemus. Notandum est (inquit) quod Christus se exemplum dedisse admonet. Neque omnia eius facta promiscuè ad imitationem trahi conuenit. Petrus se Christi exemplo quadragesimale ieiunium seruauerunt. Atqui videndum in primis erat, an exemplum proferre voluerit, ad cuius normam se discipuli formarent. Non verò legitur tale. Quare non minus peruersa est amulatio, quam si in cælum volare tentarent. Hæc prior accusatio est, cuius plenam refutationem videre licet supra ad Matth. cap. 4. & in Promptuario nostro Catholico. Summa est, tum alias esse ieiunij Quadragesimalis graues causas præter exemplum & imitationem Christi, tum quia nec omnia Christi facta in exemplum trahenda sunt, nec nullum: quid autem eius generis sit, ut in exemplum trahi possit ac debeat, Ecclesia Catholica mater fidelium, columna & firmamentum veritatis, docere nos debet, non superba & garrula hæresis. Posterior accusatio, & huic Euangelio propria, apud Caluina